

cum eo »; qui non ita facile, quid ageretur, suspicaretur. Hoc mane fuit alterius post calendae diei, nam ipsae calendae v. 21 et dies secunda calendarum v. 27, seu prima post calendae, iam effluxerant; vespere secundae diei secundo Saul accubuerat, ergo nunc iam mane tertiae diei agebatur. Quomodo id quadrat cum v. 18 sq., ubi de solis duabus diebus sermo est? Eo loco affirmatur, non prima post calendae die Ionatham Davidi nuntium esse allaturum, sed ea die et ipsis calendis Davidis absentiam fore conspicuam; monetur iis elapsis diebus David v. 19 ad locum conductum venire. v. 36 « *Et ait ad puerum suum: Vade, et affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum* ».

Recte aliam supplevit *Vulg.*, duas enim saltem misit Ionathas sagittas. Dum primam iaciebat, adstabat puer locumque notabat; dum curreret ad locum, alteram misit Ionathas, de qua vere dici poterat: *Est sagitta longius istinc (Hebr.)*. Exiit autem cum puero Ionathas, ne solus exiens suspicionem attraheret: secus potuisset recta solus Davidem adire.

v. 37 « *Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas; et clamavit Ionathas post tergum pueri et ait: Ecce, ibi est sagitta porro ultra te* », longius istinc. v. 38 « *Clamavitque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris* »; ne puer prope latentem David advertere posset; vel quod impatientia consumeretur Ionathas conveniendi Davidis. « *Collegit autem puer Ionathae sagittas, et attulit ad dominum suum* ». Pluralem sagittas habent *Keri* et versiones omnes. v. 39 « *Et quid ageretur, penitus ignorabat; tantummodo enim Ionathas et David rem noverant* ». v. 40 « *Dedit ergo Ionathas arma sua puero, et dixit ei: Vade, et deser in civitatem* ». v. 41 « *Cumque abiisset puer, surrexit David de loco, qui vergebat ad austrum, et cadens pronus in terram, adoravit tertio* », vel potius ter; « *et osculantes se alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius* ».

*Hebr. surrexit de iuxta austrum* נָבַב, quod fortasse ortum duxit ex נָבַב *accensus* (LXX). *Chald. Syr.*, uti v. 19; *de iuxta lapidem*. — *Autem: Vulg. Syr.* legebat נָבַב, sed *Hebr. Chald.* LXX נָבַב *donec*. חֲבִילִים *magnum* seu *multum* fecit; ita etiam *Chald. Syr.* חֲבִילִים. Sed quid multum fecit? *Vulg.*: *stetum*, *flevit abundantius*. Cur non tempus? *donec* Davidi sero fieret. — LXX *ἔως*; *σοφιστίας*; *πυρρίτης*, unde ortum sit nascimus.

V. 42 « *Dixit ergo Ionathas ad David: Vade in pace* », cf. v. 22. Haec verba, quae sunt colloquii ultima, confirmant explicationem modo datam, *donec*. « *Quaecumque iuravimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me et te, et inter semen meum et semen tuum, usque in sempiternum* » — *supple*: rata sint, vel « *eorum me-*

mento » (*Sa*). Ellipsis Hebraeis familiaris, unde non oportet cum *Wellh.* expungere dicentes: « *quoad ea, quae iuravimus, Dominus sit inter me et te* ». v. 43 « *Et surrexit David, et abiit; sed et Ionathas ingressus est civitatem* ».

PARS II. DAVID FUGITIVUS IN TERRA IUDA 1 REG. 21-26.

Haec pars tria membra complectitur. Primum (21, 1-22, 23) ostendit, quomodo David, per diversa loca vagatus, tandem monitu prophetae Gad Iudaeam repetit; colligitur circa illum manus fortium, accedit pontifex. Alterum (23, 1-13) in liberatione Ceilae exhibet Davidem vel exulium salutis Iudaeorum sollicitum. Tertium (23, 14-26, 25) miram ostendit Dei circa Davidem providentiam.

1) David huc illic incertus vagans 1 Reg. 24, 1-22, 23.

*Ang.* — David fugitivus Noben venit et ab Achimelech pontifice, quaesito praetextu, panes accipit et gladium. Inde confugit in Geth; sed, eam civitatem minus tutam sibi reputans, in spelunca Odollam primos sibi socios adiungit. E Moabitide in Iudaeam a propheta redire iussus, in saltu Haret delitescit; pontifex vero ob praestitam Davidi opem cum octoginta quatuor sacerdotibus iussu Saulis trucidatur; cuius filius Abiathar a Davide benigne excipitur.

*Cap. XXI v. 1* « *Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem, et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David, et dixit ei: Quare tu solus, et nullus est tecum?* » Ex 22, 11. 19; Is. 10, 31 (32) nomen civitatis est *Nob*, dempto *ן* locali; erat ea tribus Benjamin, prope Anathoth (2 Esdr. 11, 32), et quidem meridiem versus, haud procul Ierusalem; inter civitates sacerdotales pridem Ios. 21 non recensebatur. De Achimelech dicemus ad 22, 9. — *Obstupuit*: *דָּבַד* usurpatur de affectu modo vehementiore 28, 5; Iob 37, 4, modo pacatiore 4 Reg. 4, 13. *Obstupuit*, quod David solus adventare: tantus quippe erat vir, ut iam non sine comitatu in publicum prodire consueverit. Noverat praeterea fortasse pontifex regis in Davidem invidiam, ideoque hunc profugum esse suspicabatur; tum vero aderat timoris ratio, cum neque Davidem praesentem, neque regem absentem offendere luberet. v. 2 « *Et ait David ad Achimelech sacerdotem: Rex praecepit mihi sermonem* », i. e. rem aliquam, « *et dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, et cuiusmodi praecepta tibi dederim; nam et pueris* » — pueris autem — « *condixi in illum et illum locum* ». Lege *keri* יְעוּרָרִי pro *kehib* יְעוּרָרִי.



Primum praecipuum omnem interrogationem de itineris obiecto, dein affirmat se non esse solum. Retinentia utitur mentali, nam certe eiusmodi secreta mandata rex multoties antea Davidi dederat, non tamen tunc. Etiam Davidem condixisse pueris, iam ante supremum 20, 33 cum Ionatha congressum, veri nequaquam assimile est. v. 3 « *Nunc ergo, si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveni-eris* ». Da mihi, quod ad manum habes, ad minimum (ita intelligendum vel) quinque panes. De Wette : « Nunc ergo, quid habes ad manum etc. »? Sed recte advertit Then., in hac constructione, ex genio linguae hebr., desiderari complementum aliquod, e. g. : Quid habes ad manum ad manducandum? v. 4 « *Et respondens sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus?* » Panes sunt propositionis, de quibus Lev. 24, 9 dicitur : « *Eruntque Aaron et filiorum eius, ut comedant eos in loco sancto* ». Pontifex se declarat paratum ad panes sanctos Davidi tradendos, eo quod lex misericordiae antecedit legem ritualem (cf. Matth. 12, 3-7; Marc. 2, 25-27).

Cur vero insisit conditioni, ut sint mundi ab uxoribus, quae et ipsa ad legem ritualem pertinet? Quia ea conditione vel ipsi sacerdotes ligabantur Lev. 22, 3 : « *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quae consecrata sunt, et quae obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino* ». Coitum autem immundus facere, constat ex Lev. 15, 16. Iam, licet necessitas, in qua David tum versabatur, pontifici sufficiens videretur ratio dispensandi in lege Lev. 24, 9, non ideo protinus negligenda erat conditio vel ipsos sacerdotes obligans. Est. : « non, quia et immundi comedere potuissent, si omnino extrema fuisset necessitas; sed, ut significaret, quod homo in necessitate constitutus, quia legem aliquam plene observare non potest, tamen non debeat propterea legem illam omnino negligere ». Ceterum vel hic indulgentia utitur pontifex; non enim omne immunditiae genus praetendit, sed addita voce *tantum, saltem, maxime*, soli immunditiae ex coitu contractae insisit.

v. 5 « *Et respondit David sacerdoti, et dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur, continuis nos ab heri et nudius tertius, quando egrediebamur* ». Verbotenus : Profecto conclusa fuerat nobis uxor heri et nudius tertius, in egressu meo, i. e. quando egrediebar. « *Et fuerunt vasa puerorum sancta* ». Vasa plerique intelligunt corpora. Intelligitur sane illud, quod coitu omnium maxime redditur immundum; ergo non vestes (Kimchi). « *Porro via haec polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis* ». *הוה* pollutum, profanum seu, uti Chald. *הולני*, extraneum, peregrinum. Recte Gord. : « *via profana, quia David tendebat ad Philisthaeos fugiens Saulem* ». *קדש* intelligi potest impersonaliter, erit

*sanctificatio*; ergo non est corrigendum cum *Ev., Wellh.* *קדש*; « *sanctificabuntur* ». Recte autem notat *Wellh.*, sibi opponi *in egressu meo et hodie*. Ergo sensus hic est : Profecto abstineramus ab uxoribus antehac, in egressu nostro, ideoque tum eramus mundi; inde ab egressu nostro versamur in itinere extraneo, quo a domibus et uxoribus longissime separamur; si ergo mundi eramus nudius tertius ab uxoribus, quanto magis hodie, cum procul uxoribus hoc triduo versati simus.

Alias expositiones commemorat *Then.*, merito indicans, eas introducere Davidem aliquid dicentem, quod non sit ad rem et sensu careat. Quod idem iudicium de *Thenii* expositione ferendum est, qui *riam* interpretatur modum agendi, et *vasa* seu instrumentum ipsum pontificem, ut verba expriment subtiliorem quamdam adulationem : Et si hic modus agendi, sc. ut laici comedant panes sacros, profanus est seu legi contrarius, at hodie sanctificatur per instrumentum, tua sc. intercedente auctoritate!

v. 6 « *Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem; neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi* ». Addit reliqui : *in die, quo removebantur*. Hebr. totam sententiam habet numero singulari, nam ם finale in *הבשרים* (qui sublati fuerant) ex sequenti voce agglutinatum est ideoque delendum; id inde colligit *Wellh.*, quod et praecedens *להם* et subsequens *הלכתי* numero singulari legantur. v. 7 « *Erat autem ibi vir quidam de servis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini, et nomen eius Doeg Idumaeus, potentissimus pastorum Saul* ». Pro *intus in tabernaculo Domini* reliqui habent *detentus coram Domino* : « *libens an invitus, incertum* » (*Ephraem* apud *Verc.*). *Arabs* suggerit, fuisse ibi voti exsolvendi, *Ephraem* peccati expiandi causa. Expressio *coram Domino* certe indicat ibi fuisse sanctuarium aliquod cultus Mosaic. Sed quale? Arcam, ante eventum 2 Reg. 6, 3, ex *Cariathiarim* alio fuisse translata, ostendi nequit, nam 1 Reg. 14, 18 textus est incertus. E contra tabernaculum, quod ante fuerat in Silo, saltem senel locum mutasse, ex 2 Par. 1, 3 efficitur; probabile igitur videtur, illud etiam prius e Silunte destructa in Noben, pontificis sedem, esse translatum. Recte igitur *Vulg.* *intus in tabernaculo*. — Viri mentio h. l. inseritur, quia, quae h. l. narrantur, 22, 40 Sauli retulit, panis sc. et gladii traditionem; dicta 21, 1-3 fortasse non audivit. Una litera mutata, *LXX* illum ex *Idumaco* fecere *Aramaeum* seu *Syrum*. Dicitur *princeps pastorum Saul*, cuius expressionis synonyma est altera 22, 9 *praepositus servorum Saul*. Creverunt opes Saul, ex praeda maxime bellica, ut qui pridem ipse ausus paucos aequitum ivisset, nunc pastorum catervam praesto haberet. v. 8 « *Dixit autem David ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam aut gladium? quia gladium meum et arma mea non tuli mecum; sermo enim regis urgebat* ».



v. 9 « *Ed dixit sacerdos : Ecce hic gladius Goliath Philisthaei, quem percussisti in Valle Terebithi, est involutus pallio post ephod : si istum vis tollere, tolle, neque enim hic est alius absque eo ;* » unicus est, quem habemus. « *Et ait David : Non est huic alter similis, da mihi eum* ». Haec rursus suadent, tabernaculum fuisse in Nobe. Agitur enim de loco, ubi fixam et notam aliquam haberet ephod pontificis stationem. Insuper 17, 34 narratur David reposuisse arma Goliath in tabernaculo.

v. 10 « *Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul, et venit ad Achis, regem Geth* ». Is Ps. 34 (33) vocatur Abimelech, *Vulg.* Achimelech. Inde a caede Goliath plures probabilius anni effluerant ; in die illa expressio est omnino indeterminata, neque supponere cogimur, Davidem Goliae gladium manu gestantem urbem Geth esse ingressum. Ceterum advertit, eum fuisse virum Davidem, qui Philisthaeis contra Saulem summe utilis esse posset ; cf. Coriolani inter Volscos adventum. v. 11 « *Dixeruntque servi Achis ad eum, cum vidissent David : Numquid non iste est David, rex terrae ?* ». Terra probabilius intelligitur Iudaea. Hinc *Malv.* putat, famam unctionis David iam latius percrebuisse. Melius *Menoch.* exponit per modum hyperbolae : « David ille inclytus, et quasi alter rex Hebraeorum ». Sed *Lap.* intelligit Philisthaeam, ut Philisthaei Davidem ironice regem appellarint Philisthaeae, quod 17, 9 statutum fuisset, Philisthaeis Goliath devicto serviendum esse Hebraeis. « *Nonne huic cantabant per choros, dicentes : Percussit Saul mille, et David decem millia ?* » cf. 18, 7. Verba haec non admirationis esse, sed invidiae, ipse indicavit David, continuo simulans amentiam. Eandem invidiam habes 29, 5. v. 12 « *Posuit autem David sermones istos in corde suo* », — gallice : « il les prit à cœur » — et extimuit valde a facie Achis, regis Geth ». v. 13 « *Et immutavit os suum coram eis* », *Hebr.* in oculis eorum, i. e. simulate tantum, « et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portae, defluentisque salivae eius in barbam ».

Cum suffixum anticipatum יוֹשֵׁב sit inusitatum, imo secundum *Welth.* monstrum grammaticale, probabilius legendum יוֹשֵׁב, et immutavit. — Collabebatur : vox *Jer.* 25, 16 ; 31, 7 de ebriis quoque usurpatur. — Impingebat : recte *Vulg.* LXX התקף a יתקף ; *Hebr.* Chald. יוֹשֵׁב (?) תוֹהוּ (?), scriptitare ; erronee certe *Syr.* יוֹשֵׁב et sedebat, nam non agitur de liminibus, sed de valvis portae domus regiae. *Clair.* : Videat David audivisse verba v. 11, ubi primum medios inter aulicos prodivit, et illico stans amentiam simulare ; secus facilius patuisset simulatio. Sacrum quid apud antiquos amentia reputabatur.

v. 14 « *Et ait Achis ad servos suos : Vidistis, hominem insanum* » esse : « *quare adduxistis eum ad me ?* » v. 15 « *An desunt nobis furiosi,*

quod introduxistis istum, ut fureret ne praesente ? hinc ingreditur domum meam » ? Hanc Davidis inter Gethaeos commorationem respiciunt Ps. 33 et 55.

*Cap. XXII v. 1* « *Abiit ergo David inde, et fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres eius et omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc* ». Ipsi norant eius unctionem. Quamvis fuerit civitas Odollam in planitie Iuda, haud procul a Thannas, Ierimoth, Socho, Azeca et Maresa (cf. *Gen.* 38, 1. 12 ; *Ios.* 15, 35 ; 2 *Esd.* 11, 30 ; *Mich.* 1, 15), tamen quae de nostra spelunca 2 *Reg.* 23, 13 sqq. ; 1 *Par.* 11, 15 sqq. traduntur, omnino suadent, eam haud procul a Bethlehem abfuisse, ideoque ab altera illa civitate distingui : erat is sc. locus, inter quem et Bethlehem non erat cisterna, ad quem potus aquae de Bethlehem commode transferri posset, a quo etiam (cf. v. 3) facilis ad Moabitas pateret accessus. Porro, quae hic spelunca, v. 4 sq. vocatur praesidium seu arx ; utrumque nomen recurrit 2 *Reg.* 23, 13 sq. ; 1 *Par.* 11, 15 sq. ; neque tamen hinc cum *Welth.* inferas בְּרֵיחַ mendum esse pro בְּרֵיחַ, quod non nisi arcem montanam significet ; quandoque enim etiam speluncae pro arcibus sunt, et quidem in montanis. — Ps. 141 est « intellectus David, cum esset in spelunca », Ps. 56 in eam occasionem scriptus est, « eum fugeret a facie Saul in spelunca ». Verius referuntur ad eventum 24, 4, tum enim vere fugiebat David a facie Saul ; nunc e contra sponte de Geth redit in Iudaeam. — Cur cum cognati conveniunt ? « Metu Saulis, ne in eos saeviret, quia in Davidem non poterat » (*Malv.*).

v. 2 « *Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi aere alieno, et amaro animo* », — italice « i malcontenti » — « et factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri ». Simile quid *Iud.* 11, 3 narratur de Iephthe. Hic versus nos docet, non solum David regnante Saul male habuisse, sed alios cuiusque ordinis plures, sive quod rex ipsis quoque esset infensus, sive quod ab aliorum iniuriis non satis illos defenderet. Ideo sane David in speluncam Odollam venerat, ut et cognatos sibi iungeret, et alios rebus publicis alienatos.

Porro non infimae notae viros ad Davidem convenisse, docemur 1 *Par.* 12, 16 sqq., qui locus huc spectare videtur : « Venerunt autem et de Benjamin et de Iuda ad praesidium, in quo morabatur David. Egressusque est David obviam eis, et ait : Si pacifice venistis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis ; si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum nostrorum, et iudicet. Spiritus vero induit Amasai, principem inter triginta, et ait : Tui sumus, o David, et tecum, fili Isai.



Pax, pax tibi, et pax adiutoribus tuis; te enim adiuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David, et constituit principes turmae». Ex eodem textu videtur effici, cohortem Salisim («triginta») iam a Saul esse conseriplam, cf. 14, 52. Nam Amasai, a Saule profugus ad David, absolute appellatur «princeps inter triginta», quasi eo titulo iam ante insignitus fuerit; David autem non praeficitur «triginta», sed «turmae», quod ille Salisim cohortem apud se nondum haberet.

v. 3 «*Et profectus est David inde in Maspha, quae est Moab, et dixit ad regem Moab: Maneat, oro, pater meus et mater mea vobiscum, donec sciam, quid faciat mihi Deus*». Sciebat David, se tandem potiturum esse regno; nesciebat, qua proxime fortuna esset usurus. — *Maspha* nomen significat arcem montanam, situm definire non valemus, rex Moab utique tum ibidem versabatur. *Maspha* certe non est illud *praesidium*, ubi v. 4 dicitur David aliquamdiu esse commoratus, quod voluit *Syr.*; sensus enim obvius est, parentes David mansisse in *Maspha*, saltem primum, Davidem vero in loco ab eorum sede diverso; item sensus v. 3 est, Davidem apud Moabitas non esse moratum, sed divinae se providentiae commisisse. *Praesidium* illud est spelunca Odollam, quae alias etiam *praesidii* nomine venit. Obiiciunt ex v. 5 *praesidium* illud in ditone tribus Iuda non fuisse, cuius certe fuerit spelunca Odollam, quae proxime aberat a Bethlehem: iubet quippe propheta Davidem, ex *praesidio* proficisci «in terram Iuda». Distinguenda est quaestio iuris et facti. Etiam 23, 3 opponitur Iudaeae Ceila, cum tamen Ceila iure ad tribum Iuda pertineat: sed ea de facto tum a Philisthaeis oppugnabatur. Cum identidem prope Bethlehem contra Philisthaeos sit dimicatum, non est absonum, quaedam ibidem loca in potestate tum fuisse Philisthaeorum. — Regem Moab appellat David, ex Ruth Moabitide ortus. Cur non ipse inter Moabitas substituit? Fuerant hi 14, 47 a Saule devicti, neque par erat, altero illos bello Davidis causa implicari.

v. 4 «*Et reliquit eos ante faciem regis Moab, manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in praesidio*». v. 5 «*Dixitque Gad propheta ad David: Noli manere in praesidio; proficiscere, et vade in terram Iuda. Et profectus est David, et venit in saltum Haret*». Quamdiu manserit David in Odollam nescimus. Gad 4 Par. 24, 9 vocatur «videns David»; iterato refertur Davidem consiliis aduvisse, in numeratione populi 2 Reg. 24, 11 et 1 Par. 21, 9, in distribuendis officiis levitarum 2 Par. 29, 25. *Haret* ignotum. v. 6 «*Et audivit Saul, quod apparuisset David et viri, qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, et esset in nenore, quod est in Rama, hastam manu enens*», «tamquam sceptrum» (*Malv.*), «*cumtisque servieius circumstarent eum*», v. 7 «*ait ad servos suos, qui assisteant ei: Audite nunc, filii Iemini, nunquid obtinis vobis dabit filius Isai agros et vi-*

*neas, et universos vos faciet tribunos et centuriones*» (cf. 8, 12, 44), v. 8 «*quoniam conivastis omnes adversum me, et non est, qui mihi renuntiet, maxime cum et filius meus foedus inierit cum filio Isai?*» Solemne concilium a rege habebatur (*Keil*) in *Gabaa*, sub terebintho in colle (*Hebr.*); terebinthi vel quercus significatio videtur evinci comparatione 31, 13 et 1 Par. 10, 12, certe est arbor aliqua. Saul iam pro certo habet, Davidem regno destinari, et ubique conurationem suspicatur. Opes et honores, prae ceteris, hominibus suae tribus contulerat. *Numquid, Hebr. sane*; sensus idem. Ironice praetendit Saul, a Davide regnum adepto Beniaminitas aeque fore honorandos, atque a se ipso; idque ironice probat ex ipsa Beniaminitarum agendi ratione, qui contra Saulem contribulem cum Davide coniuverint. Coniuratio eo manifestatur, quod omnes, quae a Davide agantur, celent. Et tamen tanto maior erat fidelibus servis ratio regis monendi, quod ab ipso filio desereretur. *Chald. Syr.: non est, qui mihi renuntiet de foedere etc.*; cui versio favet, quod v. 13, in constructione analogae, omnino ita sit intelligendum. «*Non est, qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi*», et tamen esset specialissima ratio, «*eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie*». *Hebr. sicut hodie fit atque patet. Chald. qui annuntiet mihi, quod suscitaverit etc.*, et huic constructioni rursus favet v. 13.

Saulis suspicio veritatem multum excedit. Ex eo, quod Davidis latebras ignoraverat, infert, eas sibi a suis studiose celari; ex Ionathae erga Davidem amicitia construit eorumdem contra se conurationem, filiumque sibi insidiari affirmat. v. 9 «*Respondens autem Doeg Idumaeus, qui assistebat, et erat primus inter servos Saul: Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech, filium Achitob, sacerdotem*». In hanc occasionem concinnavit David Ps. 31.

*Hebr. assistebat super servos Saul*, i. e. adstabat inter servos Saul; expressionis sensum collige ex Gen. 45, 1 «*multis coram adstantibus*». Doeg pastor non erat adscriptus aulae regiae, sed forte aderat. Cur non, secundum 19, 20, eum *constitutum super servos Saul* seu *primum* inter illos affirmemus, ratio est, quia certe Abner et Ionathas illo erant superiores; nec facile Saul, qui Beniaminitas reliquis praeferre consueverit, primum locum Idumaeo tribuisset. Sensus narrationis potius hic est, recusantibus universis famulis regis, trucidatos esse sacerdotes a viro quodam inferioris conditionis, Doeg. Cf. *Wellh.* — II. I. nobis inquirendum est de Achimelech, filio Achitob; quem non pauci eundem esse voluerunt cum Achia, filio Achitob, fratris Ichabod, filii Phinees 14, 3. Quae opinio tota nititur altera opinione, Saulem solos duos annos regnasse, quam ad 13, 1 admitti non posse ostendimus. Ea autem dimissa, nihil est, cur Achimelech negemus ab Achia esse diversum. Post cladem sc. apud Lapidem Adiatorii 4, 11 Achitob, filius Phinees, suscepti pontificatum. Cui successit Achias filius, qui initio regni Saul pontificatum obtinebat. Tempore fugae Davidis ei iam successerat Achimelech frater. Ab illa clade viginti anni 7, 2 elapsi sunt



usque ad Samuelem iudicem, qui officium illud usque ad senium retinuit; pluribus iam annis regnaverat Saul: habemus ergo spatium saltem sexaginta annorum, quod pro tribus pontificibus nequaquam brevis est.

v. 10 « Qui consuluit pro eo Dominum, et cibaria dedit ei; sed et gladium Goliath Philisthaei dedit illi ». Consuluisse Achimelech Dominum pro David, cap. 21 non explicitè narratur, sed 22, 13 implicitè conceditur. v. 11 « Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem, filium Achitob, et omnem domum patris eius, sacerdotum, qui erant in Nobe, qui universi venerunt ad regem ». v. 12 « Et ait Saul ad Achimelech: Audi, fili Achitob. Qui respondit: Praesto sum, domine ». v. 13 « Dixitque ad eum Saul: Quare coniurastis adversum me, tu et filius Isai, et dedisti ei panes et gladium, et consuluisti pro eo Deum, ut consurgeret adversum me, insidiatorusque hodie permanens? » Suspiciosus rex rerum ex facto praebiti auxilii coniurationis animum infert. v. 14 « Respondensque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, et gener regis, et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua? » Haec Achimelech proxime non Davidis (Sanct.), sed sui ipsius exculpandi gratia affert.

Vulg. Syr. כר derivabant a כר, se vertens, pergens, observans; cui versioni congruit מל. LXX Chald. כר aequiparabant כר, ergo praepositus super auditionem tuam, et concordat 2 Reg. 23, 23; 1 Par. 11, 25, ubi eiusmodi dignitas aulica commemoratur; ei quidem expressioni מל non congruit, verum מל et כר saepissime permittantur, et LXX legit כר. Sed quid ista auditio sibi vult? Syr. observans mandata tua, quod tamen iam includebatur in fidelis. LXX ἠκούσας πατρὸς; παραγγέλιματός σου; sed, eos vocis sensum non perspexisse, inde patet, quod eandem 2 Reg. 23, 23 vertenter ἠκούσας. Ges. « consocius omnis audientiae i. e. secreti regni »; sed secreti idea certe est praeter etymologiam. Then., Fürst « praepositus cohortis praetorianae »; et hic sensus optime quadrat cum locis parallelis, cum Jos. (ἡλιαζαζα), tandem cum contextu; nam praeter regiam consanguinitatem (gener regis) et aulicam excellentiam (honoratus in domo tua), videtur necessario efferenda h. l. Davidis militaris auctoritas.

v. 15 « Num hodie coepi pro eo consulere Deum? » Usitata prorsus res est, ut ego pro Davide consulam Deum, neque ideo carpendus sum. « Absit hoc a me », coniuratio sc., cuius accusor. « Ne suspicetur rex adversus servum suum rem huiusmodi in universa domo patris mei »; nemo in domo patris mei me ipso alienior a prodicione. E contra LXX Syr. adversus servum suum et universam domum patris mei. « Non enim scivit servus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum vel grande ». v. 16 « Dixitque rex: Morte morieris, Achimelech, tu et omnis domus patris tui ». Id erat contra legem Deut. 24, 16: « Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur ». v. 17 « Et ait rex emissariis, qui circumstabant

eum: Convertimini, et interficite sacerdotes Domini, nam manus eorum cum David est, scientes quod fugisset, et non indicaverunt mihi ». Qui pepercit Agag, sacerdotibus non pepercit (Theodoret.). « Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini ». Videntur existimasse insanire regem, insuper cohilabantur reverentia sacerdotii. — Emissarii seu cursores (Hebr., cf. 9, 11) ex 2 Reg. 15, 1; 3 Reg. 1, 5; 14, 28 regem in publicum procedentem comitabantur, et ante eius curram incedebant vel currebant. Saul tamen neque curru neque equo usus esse videtur. — Hebr. Chald. addunt כר: Interficite eos, quamvis sacerdotes sint, nam ipsi quoque coniuraverunt.

v. 18 « Et ait rex ad Doeg: Convertere tu, et irruere in sacerdotes. Conversusque Doeg Idumaeus, irruit in sacerdotes, et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo ». LXX trecentos quinque, Jos. trecentos octoginta quinque. Monent Vatabl., Sa, verba non affirmare, omnes sacerdotes indutos ephod ad Saulem accessisse, sed eos fuisse viros, quibus ob sacrum ministerium ephod induendi ius esset; fortasse etiam accesserant induiti « ephod lineo » (cf. 2, 18), quo aliis etiam praeter pontificem indui fas erat. Sanct.: « Non sine causa scriptor sacer observavit, genere Doeg fuisse Idumaeum, ut Israelitidem gentem a tanti sceleris turpitudine liberaret. Neque enim ullus ausus esset ex Hebraeorum semine, sacerdotali sanguine sacrilegum ferrum et manus sceleratas imbuere ». v. 19 « Nobe autem, civitatem sacerdotum, percussit in ore gladii, viros et mulieres, et parulos et lactentes, bovemque et asinum et ovem in ore gladii ». Quoad expressiones cf. 15, 3. Supposititium contra regiam auctoritatem peccatum punit Saul ea poena, quae Deut. 13, 13 sqq. pro idololatriae crimine statuitur (Keil). v. 20 « Evadens autem unus filius Achimelech, filii Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad David ». v. 21 « et annuntiavit ei, quod occidisset Saul sacerdotes Domini ». Fortasse is in Nobe remanserat, ut sacerdotis officia persolveret (Clair). v. 22 « Et ait David ad Abiathar: Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doeg Idumaeus, procul dubio annuntiaret Sauli ». Sed non potuerat suspicari, quidquam gravius inde secuturum esse sacerdotibus. « Ego sum reus omnium animarum patris tui ». Pro כבתי, quod non significat reus sum, videntur Vulg. LXX Syr. legisse הבהי. Saul pronus est ad accusandos alios, David ad accusandum se. v. 23 « Mane mecum, ne timeas » Saulem; « si quis quaesierit animam meam, quaeret et animam tuam, mecumque servaberis ». Putavit Menoch., pronomina possessiva esse transponenda: Qui quaesierit animam tuam, quaeret animam meam, a me inimicus habebitur. Pessima consolatio, inquit Wellh., est pro Abiathare, praeter suos etiam Davidis inimicos iam sibi fore infensos. Sed sensus verborum hic est: Commu-



nes habebimus tam hostes, quam specialem mihi promissam Dei protectionem, indeque tu certissime mecum salvus eris.

2) Liberatur Cella 1 Reg. 23, 1-13.

ARG. — Ceilam a Philisthaeis pressam liberat David. Quem Saul ibidem obsessurus advolat, sed David oraculi monitu se subducit.

Cap. XXIII v. 1 « Et annuntiarunt David, dicentes: Ecce Philisthim oppugnant Ceilam, et diripiunt areas ». « Messis tempus erat » (Mar.). Annuntiavit vel rumor popularis, vel quidam de Ceila auxilii petendi gratia adventantes. Ceila (Ios. 13, 44) prope Philisthaeorum fines erat, situm accuratius describere non valeamus. v. 2 « Consultuit ergo David Dominum, dicens: Num vadam, et percussum Philisthaeos istos? Et ait Dominus ad David: Vade, et percutes Philisthaeos, et Ceilam salvabis ». v. 3 « Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum: Ecce nos hic in Iudaea consistentes timemus; quanto magis si ierimus in Ceilam adversum agmina Philisthinorum? »

Iudaeam intelligunt regionem tam de facto, quam de iure ad Hebraeos pertinentem, cf. dicta ad 22, 5. Oppositio habetur, non tam inter Iudaeam et Ceilam, quam inter hic in Iudaea et inter agmina Philisthinorum. Timebant Philisthinorum aciem non incertam, sed scite instructam, tanto magis quod aderat periculum, ne inter illam et Saulem intrepiderent (Malv.). — LXX adversum agmina non legebant, nam εἰς τὰ ἐξέλα, in spolia, corruptum est ex εἰς Κεῖλα (Welh.).

v. 4 « Rursum ergo David consultuit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, et vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthaeos in manu tua ». v. 5 « Abiit ergo David et viri eius in Ceilam, et pugnavit adversum Philisthaeos, et abegit iumenta eorum, et percussit eos plaga magna; et salvavit David habitatores Ceilae ». Greges illos aut secum adduxerant, aut probabilius Hebraeis rapuerant. David, nec opinantes aggressus, facile in fugam egit. v. 6 « Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar, filius Achimelech, ad David in Ceilam, ephod secum habens descenderat ». Hebr. Syr. ephod descenderat in manu eius; LXX vertit liberius, uti Vulg.; Chald. ephod detulit in manu sua, sed Hebr. kal habet, non hiphil. — In Ceilam omnes textus habent, ergo vox non est facile expungenda, licet perantiquus error esse possit. Aliunde animadversio de Abiathar praecise ideo h. l. subiungitur, ut intelligamus, quomodo priora duo oracula facta sint, sc. per ephod a pontifice gestatum. Planius legunt LXX: Porro quo tempore fugiebat Abiathar, filius Achimelech, ad David, et ipse cum David Ceilam descendit, habens ephod in manu sua. Neque repudianda est solutio, priora oracula

facta esse alia via, fortasse per Gad prophetam (Malv.), et Abiatharem nonnisi Ceilae se Davidi iunxisse (Malv., Mar. ad 22, 20). Obicit Clair, משה ביהודה nunquam de consulendo propheta usurpari.

v. 7 « Nuntiatum est autem Sauli, quod venisset David in Ceilam; et ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est introgressus urbem, in qua portae et serae sunt ». Tradidit, verbotenus abalienavit בכר, non ex בכר vendidit (LXX) corruptum, sed selectum propter assonantiam cum conclusus נכסר conclusus est. Putavit David, me portis et seris exclusum iri, cum iisdem ipse velut avis captiva concludendus sit. v. 8 « Et praecepit Saul omni populo, ut ad pugnam descenderet in Ceilam, et obsideret David et viros eius ». Ea Saulis erat mens, nequaquam populo primum manifestata. Obsideret, צר, kethib, quod scutae sunt versiones; keri צר, ut venaretur, cf. v. 7. — v. 9 « Quod cum David re-scisset, quia praepararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica ephod ». כהרית Vulg. LXX derivarunt ארש silere, Syr. Chald. melius ארש incidere, fabricari, insidiari. Recte Beda: ex facto, inquit, adhibiti hae vice ephod « datur conici, quo ordine supra (v. 2, 4) Dominum consuluerit, i. e. applicata ad se sacerdotali veste, et sic ex ore sacerdotis Domini responsione quaesita ». v. 10 « Et ait David: Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me ». v. 11 « si tradent me viri Ceilae in manus eius? et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet ». v. 12 « Dixitque David: Si tradent me viri Ceilae et viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent ».

Ita v. 11, 12 legunt Hebr. Vulg. Chald. Duas primum David quaestiones ponit (Tradentne? Descendetne?); ad alteram solam respondendo oraculo, priorem repetit David. Unde infert Kell, hoc genus oraculi ad singulas tantum singulis vicibus quaestiones respondisse. At, num id non novit David? cur ergo duas simul proposuit quaestiones? Id cum Clair tribui potest Davidis anxietati, qua etiam factum sit, ut, quae logice prior ponenda fuisset quaesitio, eam altero loco collocaerit: prius enim interrogandum fuerat, venturusne esset Saul, postea traditurus esset Ceilae. — Alteram lectionem exhibent LXX Syr., inter se non penitus concordantes. Non ita magis momenti est, Syr. omittere verba Domine Deus Israel, indica servo tuo, et in fine addere Surge, et egredere de civitate. His igitur missis, LXX legunt: obsidebiturne (punctantes ארשך pro ארשך)? Descendetne Saul, sicut audivit servus tuus? Et ait Dominus: Obsidebitur. Syr. omisso v. 11 legit: Tradentne (ארשך) me viri Ceilae et viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent. Ex quibus lectionibus evidens fit, certissime textum originale exhibuisse formam ארשך ארשך ארשך, punctandam vel ארשך ארשך ארשך (Hebr. Vulg. Chald. Syr. Ios.), vel ארשך ארשך ארשך (LXX), vel ארשך ארשך ארשך, vel ארשך ארשך ארשך. Fuisse insuper in textu originali formam verbi ארשך, non ita evidens est, neque Ios. videtur legisse. — Hinc tan-



dem duplex se offert solutio. Prior textum *Hebr. Vulg. Chald.* pro genuino habet, eiusque disiecta membra apud *LXX Syr.* observat. Altera primitivum textum, quod in oraculis fere fit, existimat fuisse valde concinnum et nonnihil obscurum, tota interrogatione consistente unica voce *הַיְצִיבֵנּוּ*. Cuius explicandae gratia, vario pro diversa punctatione adscriptae sint glossae: « Trudentae — me viri Ceilae in manus eius? » « Trudentae — me viri Ceilae et viros, qui sunt moeni, in manus Saul? » « obsidebitur? — descendetne Saul, sicut audivit servus tuus? » Quae dein glossae, plus minus, in textus irrepererint. Haec altera explicatione eliminatur Ceiltiarum futura prodiitio, si verbum ex *kal* vel *niphal*, non vero ex *hiphil* punctemus. Ceterum, quod solum David investigare cupiebat, id erat, descensurusne esset Saul ad ipsum obsidendam, non traditurne se essent Ceiltiae; ipsi certe in animo non erat, cum Ceiltis vel in eorum urbe Sauli resistere, qui constanter nefas duxerit, levare manum contra christum Domini. Cf. dicenda ad 30,8. — Tamen prior solutio criticae utique prae altera commendatur; et contra suppositionem, eius oraculi responsa fuisse tam concinna, videtur facere 30,8.

v. 13 « Surrexit ergo David et viri eius quasi sexcenti, et egressi de Ceila huc atque illuc vagabantur incerti. Nuntiatumque est Sauli, quod fugisset David de Ceila (et salvatus esset) ». *LXX Jos.* scribunt quadringentos, fortasse correctione adhibita ex 22,2; ceterum viros fuisse sexcentos, ex 23,13 colligitur, ubi etiam *LXX* sexcentos habent.—*Et salvatus esset* altera est versio vocis *fugisset*, ex Itala in *Vulg.* translata (*Vere.*).

3) Mira Dei circa Davidem providentia 1 Reg. 23, 14-26, 25.

*Anc.* — Diximus *Intr.* n. 7, 23,14 esse veluti *tesseram*, quae sequenti narratione demonstretur; miram sc. Dei circa Davidem perpetuis angustiis in Ziphendorum pago agitur providentiam duplici quodam, veluti inductionis, argumento exhiberi; unde ex factorum allatorum similitudine eadem illa esse inter se concludi non oportere, proprium quippe esse inductionis, ut casibus similibus efficiatur. Cf. *ib.* dicta.

v. 14 « Morabatur autem David in deserto, in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, (in monte opaco, quaerebat eum tamen) — quaerebatque eum — « Saul cunctis diebus, et non tradidit eum Deus in manus eius ». Cunctis diebus, sc. donec quaerere desiit, cf. 27,4; eiusmodi generales expressiones non sunt urgendae.

*כַּוְנָה* significare loca, non arte solum, sed vel natura firma, ostendit *Ex.* 33,27. — *LXX*, pro *in monte*, in *deserto Ziph*, habet in *deserto*, in *monte Ziph*; addit *ἐν τῷ ὄρει* *ἀπὸ τῶν ὄρεων* vel *ἐν τῷ ὄρει* *ἀπὸ τῶν ὄρεων*, cui in *Vulg.* correspondet *in monte opaco*, quod est ex Itala transumptum (*Vere.*). Iam huius additamenti duplex se offert explicatio. Potest illud nihil esse aliud, nisi altera versio verborum in *monte Ziph*, cum ipsum *Ziph* interpretetur *Hier. montem squalidum, caligantem, nebulosum*. Vel potest illud additamentum idem esse, quod v. 15 sonat in *silva*, *בְּחַרְשֵׁהָ*; sc. *הַרִּישׁ* *chald.* significat in modum *silvae crescere*; cf. *Eurip.* *Or.* 223 *ἀνακαταφυγῆς*, de coma sil-

vae instar crescente; hinc *opacus*. Prior explicatio praepaet. — *Ziph*, hodie *Tell Zif*, inter *Hebron* et *Carmelam*; post generalem determinationem in *deserto*, in *locis firmissimis*, ille locus effertur, prope quem *David* frequentius delituit, et iterato a *Saul* exquisitus est. Duae erant civitates *Ziph* *Jos.* 15, 24, 53, sed altera h. l. intelligitur, haud longe (cf. 24) a *Maon* sita. Nota, *Davidem* suas latebras ita seligere, ut in *Iudaea* quidem versetur, attamen nonnisi *deserto* a *Moabitide* separaretur, cf. 22,3.

Iam post generalem sententiam v. 14, s. auctor 23,15-26,25 ad duo particularia facta narranda progreditur. Quae eo, quo evenerunt, ordine referuntur; nulla enim inversi ordinis ratio ostendi potest. Utrumque factum insignem praebet commentarium verborum v. 14 « et non tradidit eum Deus in manus eius », his enim ipse *Saul* in manus *Davidis*, quem persequitur, traditur. Ergo tantum abest, ut ex eventuum analogia inferre liceat, eundem numero eventum bis discrepanti ratione narrari, ut potius ex hac ipsa analogia diversitas eventuum sponte fluat; sunt ea duo distincta argumenta ad eandem assertionem stabilendam prolata. Praeterea uterque eventus speciale momentum habet. Prioris eventus 23,15-24,23 momentum est in verbis *Saul*, *Davidis* innocentiam futurumque regnum explicite agnoscens. Alter eventus 25,1-26,25 occasionem describit, ob quam *David* *Iudaea* secedere decreverit. Scilicet nuptiae *Davidis* cum *Abigail*, quae opimam illi haereditatem contulit, *Saulis* invidiam inde a priori eventu quadamtenus sopitam redintegravit, quam ille mox *Michole* alteri viro tributa manifestavit. Qua re cognita *Ziphaei* rursus, ubi *David* versaretur, regem edocuerunt. *David* autem 26,19 regi insequenti consilium communicat excedendi *Iudaea*. — Duo praeterea in tota hac narratione notanda. Alterum est perseverans *Ionathae* amicitia, qui *Davidis* latibula oppido nosset, eumque clam rege conveniret. Neque veri absonum videtur, fuisse etiam alios, qui simili ratione *Davidi* faverent, quod viri innocentiam perspectam haberent, pristina officia meminissent, futurum regnum divinarant, regisve odium morbo vel diabolico influxui tribuerent. Quo factum est, ut, licet rex *Davidem* assidue insectaretur, hic de consiliis eius edoceret, resque molliter, ut plurimum, gereretur. Ex altera parte habes *Ziphaeos*, regem assidue de *Davidis* latibulis edocentes; nam, quod ipsi bis 23,19 et 26,1 id egisse narrentur, non sequitur, bis eundem referri eventum, sed illos in eiusmodi obsequio et assiduos fuisse et fere unicos. Reapse reliqua illa *Iudaea* pars videtur potius *Davidi* favisse. Quae vero *Ziphaeos* ratio *Davidi* tam infensos reddiderit, utrum veteres cum domo *Isai* inimicitiae an regii favoris ambitio, nescimus. Cave tamen, ne cum recentioribus nimis insistas « proditioni » *Ziphaeorum*. *Davidis* quippe electio nondum videtur fuisse publice nota, *Saul* adhuc erat legitimus rex, non erat cuiusque civis eius in *Davidem* odii causas discutere et reprobare, ipse



tandem David Ps. 53 de « proditiōe » nequaquam conqueritur. Plura vide apud *Himpel* l. c. p. 104 sqq.

a. David praescindit oram chlamydis Saul 1 Reg. 23, 15-24, 23.

ARG. — Primum e duobus factis supra laudatis hoc est. David delitescens in deserto Ziph a Ionatha rursus inuisitur. Saul vero, per Ziphaeos certior factus Davidemque persecutus, ingruentibus Philisthaeis ab incepto desistere cogitur; mox reversus a Davide in spelunca quadamprehenditur, a quo christum Domini verito generose dimittitur incolumis.

v. 15 « *Et vidit David, quod egressus esset Saul, ut quaereret animam eius. Porro David erat in deserto Ziph, in silva* ». Scriptura, quae intervalla acta sunt, continua narratione prosequitur. Saul, audita Davidis fuga, aliquamdiu substitit v. 13; dein, eius comperto latibulo, egressus est.

*Et vidit*: pro וַיִּרְאֵהוּ *Ev., Welth.* punctandum censent וַיִּרְאֵהוּ *et timuit*, id vero minime est necessarium. Post non tradidit eum Deus in manus eius contextus planior habetur, si pergatur *et vidit*, quam si pergatur *et timuit*: quis enim timori locus in tam speciali Dei providentia? Neque sequentia illam punctationem exigunt: *confortavit manus eius, ne timeas*. Pro בְּחַרְשֵׁיהֶם LXX *Is.* legebant בְּחַרְשֵׁיהֶם. ה' finale *Is.* declarat esse ה' locale, non obstante praepositione usurpatum: durum tamen videtur huiusmodi ה' locale, ubi nullus motus exprimitur. Alii, *Is.* secuti, accipiunt ut nomen proprium. Non ita quidem acceperit versiones; illud tamen favet, in ea vitae pastoralis aetate singulos colles, silvas, imo prominentes arbores sua nomina propria habuisse.

v. 16 « *Et surrexit Ionathas, filius Saul* », de castris paternis, prope Davidis latibulum sitis, « *et abiit ad David in silvam, et confortavit manus eius in Deo, dixitque ei* »: v. 17 « *Ne timeas; neque enim inveniet te manus Saul, patris mei, et tu regnabis super Israel, et ego ero tibi secundus; sed et Saul, pater meus, scit hoc* ». Cf. 24, 21. Confortari manus possunt, modo pecunia Iud. 9, 4, 24, modo verbis Iob 4, 3 et h. l. Confortatur David in Deo, tota quippe securitatis ratio petitur ex divino decreto, quo regno destinatur. Non tamen hinc sequitur necessario, Ionatham de Davidis unctione eductum fuisse: eum regno destinari, inferre poterat ex Saulis reiectione et evidenti divina Davidis protectione (*Menoeh*). — Ionathas non solum sperat se fore socium (*Calm*), sed dignitate secundum.

v. 18 « *Percussit ergo uterque foedus coram Domino; mansitque David in silva, Ionathas autem reversus est in domum suam* ». Est renovatio foederis 20, 12 sqq.

v. 19 « *Ascenderunt autem Ziphaei ad Saul in Gabaa dicentes: Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvae, in colle Hachila, quae est ad dexteram deserti?* » Potest etiam verti *ascenderunt*, ut iste ascensus prior fuerit v. 13 sqq. narratis, et fortasse ex ipsis Ziphaeis didicerit Ionathas, ubinam David lateret. *Desertum* h. l. exprimitur voce שיִיבִין, quam speciale quoddam deserti genus significare, perperam ex aliis locis colligi affirmat *Then*.; videtur intelligi ipsum desertum Ziph. Ille qui, in urbe et colle Ziph constitutus, facie ad orientem versa prospiciebat, coram se cernebat desertum Ziph et, ad eius dexteram i. e. ad meridiem deserti, collem Hachila (*Mar*). Erit is ergo fere inter Ziph et Carmel quaerendus. v. 20 « *Nunc ergo, sicut desideravit anima tua, ut descenderes, descende; nostrum autem erit, ut tradamus eum in manus regis* ». v. 21 « *Dixitque Saul: Benedicti vos a Domino, quia dohuistis vicem meam* ». Formula usitata est, qua quis alteri bona apprecabatur, qua h. l. utitur Saul, eius sensu non accuratius attento: quomodo enim secus persecutoribus David, quem innocenter esse sciebat et regem a Deo destinari praesentebat, divinam apprecaretur benedictionem? Nisi forte dicamus, eum, ut erat animo versatilis (cf. 19, 7, 10; 26, 23 et 27, 1), illa modo perspexisse, modo non perspexisse. v. 22 « *Abite ergo, oro, et diligentius praeparate, et curiosius agite, et considerate locum, ubi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi; recogitat enim de me, quod callide insidiet ei* ». Melius LXX *Chald. Syr.* intelligunt impersonale: *dictum est enim mihi, quia collidus est valde*. Norat Saul ipse Davidis in agendo prudentiam; eius in eludendis insidiis calliditatem non nisi alieno didicerat testimonio.

*Hebr.* *He iam, et porro* animum advertite (לֵב הַכֹּסֵם omisso cf. 1 Par. 28, 2), *et discite, et inspicite locum eius*. Saul anxius pluribus vocibus attentionem incaleat, minime tamen synonymis. Commentatur primum continuata attentio (*porro animum advertite*), inde rei perquisitio (*discite*), caepe non audita solo, sed visu confirmata (*inspicite*). Superfluum pronuntiat *Welth.* post tam accuratam v. 19 latibuli descriptionem, tam instans monitum latibuli perquirendi. Sed David frequenter stationem mutare consueverat, et aliquod tempus effluserat a suscepta Ziphaeorum Gabaam profecione; cf. dicenda ad v. 24 — *Hebr.* *inspicite locum eius, qui fuerit pes eius; quis vidit eum ibi?* אִשְׁרֵי שָׂם et שָׂם evidenter sunt initium et finis unius eiusdemque sententiae relativae; unde pro וְאִשְׁרֵי שָׂם, perquam abrupto, legendum est הַמְּרִירָה, quod LXX corruptum legebant בְּרִירָה לֵב, מְרִירָה (Then): *inspicite locum, ubi fuerit pes eius agilitus*.

v. 23 « *Considerate et videte omnia* » — « *omnia omnino* » — « *latibula eius, in quibus absconditur, et revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum* ». אֵל גִּבְיוֹן. אֵל גִּבְיוֹן. ἀλλ' ἐπεὶ λέγειμεν, de cuius sensu ipsae versiones ambigisse videntur. Eum definiens vel



cum *Chald.* in veritate, profecto, certe, ad quam versionem fortasse revocari possunt *Alex.* εἰς ἐρησον, et *Symm.* ἐπὶ βεβαιο; vel cum *Syr.* ad praeparandum, ad instruendum me. *Vulg.* ad rem certam utriusque sensui aptari potest. « Quodsi etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda ». *Hebr.* LXX simpliciter *Quodsi fuerit in terra*, i. e. in territorio tribus Iuda; cf. 27, 4, ubi narratur Saul, quam primum comperit Davidem in Philisthaeam esse transgressum, ab illo perquirendo destitisse. v. 24 « At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul. David autem et viri eius erant in deserto Maon, in campestribus ad dexteram Iesimon ». Iesimon eadem vox est, quam v. 19 vertebamus *deserti* ergo etiam h. l. eadem ratione vertenda. Maon civitas haud procul distans a Ziph *Ios.* 13, 33, hodie Main; intercedit Carmela inter Maon et Ziph. Ergo reapse colle Hachila secesserat David, et sapienter v. 22 Saul Ziphacos fuerat adhortatus, ut diligenter exquirerent locum, ubi David lateret. Desertum Ziph v. 13 erat inter Ziph et Mare Mortuum. Tam collis Hachila, quam desertum Maon erant ad dexteram, i. e. ad meridiem deserti Ziph. v. 25 « Ivit ergo Saul et socii eius ad quaerendum eum », Ziphacos secuti, et nuntium ab eis expectantes. « Et nuntiatum est David, statimque descendit ad petram, et versabatur in deserto Maon. Quod cum audisset Saul, persecutus est David in deserto Maon ».

Quenam est illa petra? Correctius LXX pro *אשר* (et versabatur) legitur *אשר*: ad petram, quae est in deserto Maon. Sed quomodo descendit ad petram, locum sublimiorem, ex campestribus i. e. planitie? *Wellh.* respondet, descendisse eo sensu, quo 25, 1, cf. 24, 1, sc. profectum esse meridiem versus.

v. 26 « Et ibat Saul ad latus montis ex parte una; David autem et viri eius erant in latere montis ex parte altera. Porro David desperabat, se posse evadere a facie Saul ». *Hebr.* est *trepide fugere*, cf. 2 Reg. 4, 4; 4 Reg. 7, 13; *Ps.* 47 (48), 6; 103 (104), 7; hinc recte *Aq.* *ἄτακτος*, *trepidus erat*, quod non est omnino idem atque *desperabat*. Sensum non plene reddunt *Chald.* *Syr.* *festinabat*. LXX *Theod.* *Symm.* pro *יהיו* videntur legisse *נתבה*, *tegebat, abscondebatur se*. « Itaque Saul et viri eius in modum coronae cingebant David et viros eius, ut caperent eos ». v. 27 « Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina et veni, quoniam infuderunt se Philisthim super terram », tanto numero, ut necessario cum omnibus continuo copiis sit abscedendum: concisa narratio divinae providentiae gubernationem illustrat, cf. 1 Mach. 4, 6, v. 28 « Reversus est ergo Saul; desistens persequi David, et perrexit in occursum Philistinorum; propter hoc vocaverunt locum illum Petram Dividentem » — Petram Separationis. Radix etiam admittit sensum: Petram Evasionis (*Clair*).

*Cap. XXIV* v. 4 « Ascendit ergo David inde, et habitavit in locis tutissimis Engaddi ». v. 2 « Cumque reversus esset Saul, postquam persecutus est Philisthaeos, nuntiaverunt ei » — non improbabilius coniectat *Sanct.* Ziphacos, — « dicentes: Ecce David in deserto est Engaddi ». Quanto tempore bellum Philisthaicum duraverit, nescimus. v. 3 « Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad investigandum David et viros eius etiam super abruptissimas petras, quae solis ibicibus perviae sunt ». Engaddi urbs primitus fuit Amorraeorum, et Asasonthamar vocabatur *Gen.* 14, 7; 2 *Par.* 20, 2, haud procul a Sodoma. Postmodum tribui Iuda accensita est *Ios.* 13, 62. Quo in loco Ammonitae et Moabitae convenerunt contra Iosaphat. *Ios.* (*Ant. Iud.* IX. 1. 2) collocat in litore Maris Mortui, ubi etiamnum est Ain Djiddi. — *Hebr.* David et viros eius super faciem rupium ibicum. *Vulg. Chald.* intelligunt petras solis ibicibus accessas. Potest etiam intelligi nomen proprium, utique a loci natura derivatum. — *Caulas gregum.* v. 4 interpretati sunt *Vulg. Syr.* *caulas ovium*; fortasse intelliguntur caulae caprarum, quae petris abruptis delectantur. v. 4 « Et venit ad caulas ovium, quae se offerebant vivanti; eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem; porro David et viri eius in interiore parte speluncae latebant ».

*Hebr.* ut operiret pedes, quod *Syr.* interpretatur ut dormiret. Dormientes pedes operiebant *Ruth* 3, 4, 7. Facilius, Saule sopito, poterunt ea omni dici, quae v. 5, 7, 8 referuntur; potuitque ora vestimenti Saule inconscio praecidit. Obstat, nullibi sensus *operire pedes* pro somno dici. E contra *Iud.* 3, 24 expressio omnino de purgando ventre adhibetur; et ita h. l. intelligunt *Vulg. Chald. Aq. Ios.* tamen LXX *עצמות* *Chryss.* de somno interpretatur. Saul, si quas suppressas voces audivit, facile potuit supponere pastorem esse ibidem degentem; neque regem decebat, dum id negotii ageret, post tergum respicere: omnis quippe earum rerum aspectus legi adversabatur, ut colligitur ex *Dent.* 23, 12 sqq., et ex more vel ipsos pedes operiendi. — Non adierant necessario Davidis viri omnes.

v. 5 « Et dixerunt servi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, sicut placuerit in oculis tuis ». Aliqui supponunt vitium aliquod deperditum, a Samuele vel Gad editum (*Sanct.*). *Calm.* nihil aliud putat exprimi, quam: Ecce dies opportuna, ut hostibus tuis te liberet. Planius *Clair* supponit, servos David prae oculis habere promissiones per Samuelem pridem Davidi factas, eas tamen suo modo transformatas enuntiare; sc. ipsi promissionem, Davidem potiturum esse regno loco Saul, ita intelligebant, Saule adhuc superstitem in potestatem venturum esse Davidis. « Surrexit ergo David, et praecidit oram chlamydis Saul silenter », clam. Forte eam Saul ad tempus seposuerat (*Keil*). Intentio ex v. 11 ea



erat, ut Saul intellexeret, suam vitam fuisse in potestate Davidis. Illico autem conscientiae stimulus angit David, ne, oram chlamidis abscondens, christo Domini irreverentes intulerit manus. v. 6 « *Post haec percussit cor suum David, eo quod abscondisset oram chlamidis Saul* ». v. 7 « *Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus Domini est* ». Hic versus non refertur ad abscissionem orae chlamidis; ex verbis enim David et ex v. 8 patet, Davidis socios, ea abscissione minime contentos, instituisse, ut manus Sauli violentas inferret. v. 8 « *Et confregit David viros suos sermonibus, et non permisit eos, ut consurgerent in Saul. Porro Saul, exurgens de spelunca, pergebat coopto itinere* ». שִׁבַּע scindere, findere; LXX persuasit, Chald. placavit, Syr. compunxit.

v. 9 « *Surrexit autem et David post eum et, egressus de spelunca, clamavit post tergum Saul, dicens: Domine mi rex. Et respexit Saul post se, et inclinans se David pronus in terram adoravit* ». v. 10 « *Dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium: David quaerit malum adversum te?* » Sensus obvius est, fuisse aliquos in aula Saulis, qui regem contra Davidem excitarent, ex quorum numero fortasse erat Chusi, de quo Ps. 7, 1. v. 11 « *Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus* » — hodie non otiose h. l. repetunt reliqui textus — « *in manu mea in spelunca, et cogitavi, ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim: non extendam manum meam in dominum meum, quia christus Domini est* ».

Et cogitavi, ita Vulg. Masor.; sed num revera de ea re cogitavit David? Chald. Syr. pro אִכָּר punctabant אִכָּר, sensu impersonali, dictum est, dixerunt. LXX legisse videntur אִכָּר, nolui (Wellh.).

v. 12 « *Quin potius, pater mi, vide et cognosce oram chlamidis tuae in manu mea, quoniam cum praescinderem summitatem chlamidis tuae, nolui extendere manum meam in te; animadvertite et vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: tu autem insidiaris animae meae, ut auferas eam* ». Theodoret.: « *Quis non admiretur prophetae virtutem! insidiatorem vocavit patrem et dominum ipse, qui regni accepisset consecrationem; christum Domini eum, qui gratia Dei privatus esset: reverebatur quippe abdicatam etiam a Deo consecrationem* ». Hebr. ita verti potest: Profecto exinde, quod, cum praescinderem summitatem chlamidis tuae, te tamen non occiderim, animadvertite et disce etc. *Non est in manu mea malum, videtur intelligendum de consilio contra regem directo; iniquitas seu defectio (רַשָׁע) est intermissio*

aliqua obsequii regi debiti; peccatum exprimit genus quodlibet offensae, punitionem exigens. v. 13 « *Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te; manus autem mea non sit in te* ». Non ipse ego iudicium et ultionem exsequar; verba non tam sunt imprecatio divinae, quam abdicatio propriae ultionis: hinc pro sit potius verte erit. v. 14 « *Sicut et in proverbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas; manus ergo mea non sit in te* ». Exstat in textibus omnibus. Sensus est: Quia impiorum est impie agere, et quia ego impietatem reputo, manus violentas inferre christo Domini, ideo manum meam a te cohibebo. Forte longius petitur, quod habet *Duquet*, insinuare Davidem, inventum iri manum impiam (cf. 31, 4), quae, quod ipse facere abhorreat, perficere non vereatur. — Ceterum advertite, quomodo s. auctor non semper verbotenus, quae dicta fuerint, referat: illam sane antiqui proverbii appellationem ipse addidit lectorum gratia, talem enim appellationem orationis fervor in Davide vix ferebat, nec Saul de proverbio ipsi optime noto monendus erat. v. 15 « *Quem persequeris, rex Israel* », tantae potestatis et divinae electionis princeps? « *quem persequeris?* » Reliqui textus addunt pronomen tu, nequaquam praetermittendum. « *Canem mortuum persequeris, et pulicem unum* ». Illud vilitatem exprimit, hoc exilitatem. Malum, si quod intulit David regi, comparatum regiae eminentiae tantum fuit, quantum punctura pulicis, ad quem puniendum haud deceat regem magno cum apparatu exire.

Canis animal immundum, imo ex Eccl. 9, 4 animalium abiectissimum, imago moralis immunditiae Matth. 7, 6; Ap. 22, 15. Canis appellatio 4 Reg. 8, 13, vel capitis canis 2 Reg. 3, 8, vel canis mortui 2 Reg. 9, 8; 16, 9; h. l., grave erat probrum.

v. 16 « *Sit Dominus iudex, et iudicet inter me et te: et videat, et iudicet causam meam, et eruat me de manu tua* ». Redit David ad verba v. 13. Iudicio Domino reservato, iam actio iudicialis per partes describitur: videat, i. e. causam cognoscat; iudicet, Hebr. discentiat causam meam; et eruat, Hebr. et iudicet me de manu tua, et sententia sua me liberet. Sed verba non imprecantur malum Sauli: Deus potest etiam vindicare causam David, dum facit Saulem perspicere Davidis innocentiam.

v. 17 « *Cum autem complexset David loquens sermones huiusmodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox haec tua est, fili mi David! Et levavit Saul vocem suam, et flevit* ». Non est haec interrogatio, sed recognitionis exclamatio; vox fili mi respondet voci v. 12 pater mi. Flevit conscientia admissae iniustitiae et iniuriae Davidi illatae, cf. v. 18 sqq., item inutilitatis omnium suorum conatuum v. 24, fortasse etiam sensu propriae miseriae, quod praevideret, se spiritu malo adactum brevi in pristinum conditionem relapsurum esse. v. 18 « *Dixitque ad David:*



*Iustior tu es, quam ego* ». *Menoel*. « i. e. ego iniustus, tu vero iustus ». Ubi e duobus litigantibus unus altero iustior pronuntiatur, non eo ipso eius adversarius iustus declaratur, cf. Gen. 38, 26. Iam Deus per ipsum Saulis os Davidis causam vindicare (v. 16) aggreditur. « *Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala* ». v. 19 « *Et tu indicasti hodie, quae feceris mihi bona : quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, et non occideris me* ». Clarius secundum *Hebr.* : *Et tu demonstrasti mihi hodie, quod tribueris mihi bona (v. 18), quoniam, cum tradidisset me Dominus in manum tuam, non occidisti me*. Mihi hodie parcendo demonstrasti, falso te insidiarum accusari, teque semper antehac bene mecum egisse. v. 20 « *Quis enim, cum invenerit inimicum suum, dimittit eum in via bona?* » *Via prosperitatis* opponitur viae mortis, vel simili expressioni. Saul evolvit argumentum v. 19 enuntiatum : exinde, quod David regem in spelunca dimiserit, sequitur, eum non esse inimico in illum animo, sed potius « tribuisse illi bona ». « *Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus es in me* ». *Vicissitudinem*, i. e. *beneficium (Hebr.)*. LXX : *Si quis invenerit inimicum suum, et dimiserit eum in viam bonam, reddet ei Dominus beneficium, sicut tu hodie operatus es in me* ; sed ultimum incisum ostendit, falso ita construi sententiam. v. 21 « *Et nunc, quia scio, quod certissime regnaturus sis, et habiturus* », *Hebr. et stabilandum sit*, « *in manu tua regnum Israel* » ; *Hebr. LXX Chald.* initio v. 22 repetunt et *nunc* — v. 22 « *iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei* ». Unde illa Sauli certitudo suboritur? ex chlamydis abscissione, quae ex 15, 28 significatione est « regni amputatio » (*Isid.*). Absciderat Saul summitatem pallii Samuelis; ex facto Davidis praescidentis oram chlamydis, infert eundem successioni regni destinari. Acedebant alia utique indicia, dum observata. Qua re perspecta, rex illico suae posteritati prospicit, uti 20, 15 fecerat Ionathas. Ab obligatione praestitii iuramenti solutus est David, resumpta cap. 26 a Saule persecutione; accessit divinum contra domum Saul oraculum 2 Reg. 21; tamen promissis stetit David catenus, quatenus pepercit Miphiboseth, filio Ionathae. v. 23 « *Et iuravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam, et David et viri eius ascenderunt ad tutiora loca* », ad loca *inaccessa (Hebr.)*. Ergo parum fidebant Saulis animo versatili. Non tamen ignoranda est diversa lectio *Syr.*, כַּעֲרֵהָהָהָה pro כַּעֲרֵהָהָהָה : *ascenderunt Maspham*, se. ad sacrificium pacis et reconciliationis offerendum. Qua cum lectione concordat, quod David 25, 1 dicatur mortuo Samuele rursus in desertum se recepisse, sive ex Maspha, sive probabilius ex Bethlehem, quo fortasse a sacrificio se receperat.

b David tollit hastam et scyphum Saul 1 Reg. 25, 1-26, 25.

Praemittuntur nuptiae cum Abigail contractae, tamquam redintegrati odii occasio.

ANC. — David a Nabale, dum is tendendorum gregum festum ageret, spretus contra illum cum armata manu nec opinantem procedit; cui in via annonam dono offerens occurrit Abigail, prudens viri uxor, cumque, ut vindictae renuntiet, demulcet. Nabale brevi post subita morte sublato, Abigailem David uxorem ducit, qua re incensus Saul ad pristinas redit inimicitias.

Quo fine historia Abigail narretur, ex ultimo eiusdem patet versu, ubi, post commemoratas v. 43 duplices Davidis nuptias : « Saul autem », pergitur, « dedit Michol, filiam suam, uxorem David, Phalti, filio Lais, qui erat de Gallim ». Videtur igitur (*Malv.*) ex illis ipsis nuptiis revixisse Saulis aversio, quasi David Saulis filiam uxorem deseruisset. Unde Saul Micholis cum Davide matrimonium dissolvit, invalide quidem, uti protestatus est David 2 Reg. 3, 14. — Initio narrationis Samuelis mors commemoratur, vel ideo solum quod eo ipso tempore contigerit, vel quod ea quoque Sauli quodammodo fuerit occasio in pristinum furorem relabendi, sublato se. magno precatore Samuele (cf. 13, 33), qui sua veluti interposita mediatione ruinam devoti regis consueque cohibuisset.

Cap. XXV v. 1 « *Mortuus est autem Samuel, et congregatus est universus Israel, et planxerunt eum, et sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque David descendit in desertum Pharan* ». Num sponte convenit populus, an a Saul convocatus, qui studuerit solemnibus exsequiis neglectum vivi prophetae resarcire? Videtur Samuel in luctu et oratione pro Saule (cf. 15, 33) perseverasse, suis orationibus Davidem veluti (cf. 22, 5) in regione Hebraeorum detinuisse; his orationibus cessantibus, mox David a Iudaea, divina miseratione a Saule recessit.

Cum 28, 3 dicatur Samuel sepultus esse in *Ramatha urbe sua*, non absolum videtur, per *domum* h. l. urbem intelligi; cf. multa urbium nomina, composita cum בית. Clair putat, domum h. l. intelligi aulam vel hortum domui adiacentem; recurrit ad 2 Par. 33, 20, ubi qui 4 Reg. 21, 18 dicebatur sepultus esse in horto domus suae, refertur sepultus esse in domo. — *Pharan* certe non intelligitur magnam desertum Pharan, Palaestinam inter et Aegyptum, hoc enim longius aberat. LXX legunt Maon, et consonat v. 2. Nota tamen loco, qui nunc Wadi Charetun auid, ad meridiem Bethlehem, nomen antiquitus fuisse Pharan. In hac valle Pharan aliquamdiu delituit Simeon Giora (*Is.* Bell. iud. IV. 9, 4); postea S. Chariton ib. anachoretis praefuit. Cf. R. Riess Bibelatlas, Freiburg i. B. — Reliquiae Samuelis a *Hier.* (23, 343) feruntur esse in Thraciam, inde teste *Nicephoro Callisto* (146. 1090) Constantinopolim translatae.